

www.e-rara.ch

Pars III

Plutarchi commentarius, cur nunc Pythia non reddat oracula carmine

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

præbet: mens imperium obtinet, neque aliunde afficitur: mixtum est quippiam & medium anima. sic *
 vt Luna etiam ex superis & inferis mixta à Deo est,
 hanc ad Solem habens rationem, quam terra ad Lunam. Hæc, aiebat Sylla, ego audiui narrante hospite.
 ei autem exposuerunt Saturni famuli atque cubicularij, vt quidem ipse referebat. Vos, Lampria, vestro arbitratu sermonem hunc in quam lubebit partem accipietis.

PLUTARCHI

Commentarius, cur nunc Pythia non reddat oracula carmine.



ASILOCLES. Hospitem, Philine, per donaria deducendo rem in profundam protraxistis vesperam. Ego quidem vos expectando defatigatus sum. PHILINVS. Etenim, Basilocles, tardè incessimus, interim seminantes ac metetes sermones, qui

- 25 Spartorum illorum in morè bellicosi & infensi subinde nobis ambulantes suppullabant. BAS. Ergo aliquis alius eorum qui interfuere nobis compellingus est, aut tu nobis gratificaberis isthæc narrando, quoniam fuerint, & quorum sermones? PHIL.
- 30 Mea est hæc, ô Basilocles, opera. nam reliquorum in nullum facile incidet in vrbe. vidi enim plerosq; rursus in Corycium cum hospite & Lycuriam vnâ ire. *adeò spectandi, & nimis quàm amicitie studiosus est hospes, magis etiam discendi litterarumq; cupidus.
- 35 Neque tamen hæc maximè admirationem meretur: sed mansuetudo pervenusta, & in dubitatio ac repugnando acumen, adque respondendum facilitas ab

omni remota contumacia. ut etiam primo congressu
 diceres, Proles boni parentis. Nosti enim Diogenianum
 optimum virum? BAS. Ipse quidem, Philine, eum non vidi.
 multi autem diuersa de adolescentem narrant. Sed quodnam
 aliud initium habuerunt sermones, qua occasione orti? PHIL. More suo
 interpretes sacrorum agebant, nulla nostrum habitatio
 ratione, qui orabamus ut in pauca contraherent enarra-
 tionem, & plerasque inscriptionum praterirent. Hospitem
 verò forma & artificium statuarum mediocriter mouebant,
 qui (ut apparebat) multa præclara opera spectauisset. Miratus autem fuit ætis
 floridum colorem, non situi aut ærugini similem, sed cyani
 tinctura rutilantem, ita ut etiam aliquid ad nauium rectores
 splendoris emitteret. ab his enim spectare orsus est, cum
 fortè marinæ eorum statuarum colore ac profundum referente
 essent positæ. Numnam, aiebat, temperatione quadam & medicatione
 æris prisca opifices vsi sunt? nam Corinthium quidem
 æs non ars, sed casus tam eleganter donauit colore, igne
 domum hauriente in qua aliquid auri & argenti, plurimum
 verò æris repositum erat: quibus confusis & in vnam
 conflatis massam, à maiore copia æris nomen impositum
 est. Tum Theo subiiciens: Nos, inquit, aliam rationem
 callidiorē inaudiuimus. Fabrum quendam ærarium
 Corinthi incidisse in capsam multo auro repletam, & cum
 metueret ne palam fieret hoc, paulatim aurum abscidisse
 & æri sensim permiscuisse, idque mirabili temperatum
 modo colorem pulcrum fuisse adeptum, magnoque idcirco
 venditum precio. Verum & hoc & illud, fabulæ sunt.
 Apparet autem fuisse quandam mixturam & apparatus:
 sicut & nunc argento aurum admiscetes, peculiarem
 quendam & artificiosum, ut verò mihi videtur, vitiosum
 & minimè pulcrum pallorem faciunt. Quam ergo, aiebat
 Diogenianus, causam putas colori huic æris fuisse? Et Theo,
 Quando, inquit,

Æris color.

quit de iis rebus quæ natura primæ erunt atq; sunt,
 ignem puta, aerem, terram, & aquam, nihil aliud æri
 accidit quàm solus aer, ab hoc illud affici liquet, at-
 que ob eius adsiduam præsentiam illud coloris di-
 5 scrimen consequi. Aut hoc quidem * antequam
 nasceretur Theognis, vt est apud comicum. Sed
 quàmnam aer natura præditus, qua facultate vtens cō-
 tactu colorem hunc æri induxerit cupis scire? Aien-
 te Diogeniano, & quidem, inquit, ego quoque mi
 10 puer. Ergo communicata opera inquiramus. Id-
 que primum dispiciamus, cur de omnibus humori-
 bus oleum maximè æruginè oppleat. Non enim vi-
 detur ipsum æri eam inducere, cū purum & impol-
 lutum ei aptetur. Nequaquam, aiebat adolescens:
 15 sed alia videtur esse causā. ærugo enim oleo, quod
 tenue est & purum ac pellucidum, accedente maxi-
 mè elucescit, cū eam alij humores tegant. Tum
 Theo: Præclarè, inquit, mi puer: & * Conside-
 ra autem sodes etiam eam quæ ab Aristotele adfer-
 20 tur causā. Volo, inquit. Is ergo tradit æruginem
 reliquis humoribus incidentibus obscurè elucere
 & dissipari, quod ij sint inæquales, neque partes vnā
 maneant: olei autem densitate eam cohiberi atque
 colligi. Proinde si nos quoque tale aliquid ponere
 25 possumus, non planè nobis deerit huiusce diffulta-
 tis explicatus. Vt ergo iussimus, veniāmque dedimus,
 ita ferè is est locutus. Aer Delphicus crassus est, cō-
 tinuus, & ob reflexionem ac renisum à montibus ve-
 hemens, itémque mordax: quod testatur nutrimenti
 30 concoctio. Subiens itaq; sua tenuitate, æs penetrat,
 atque ex eo multam terrestremque æruginem eruit:
 eamque rursus sua densitate comprimit, * quæ
 non finit, vt subsidens præ multitudine efflorescat,
 & in superficie splendorem atque nitorem adipiscat-
 35 tur. Hæc nobis probantibus, hospes aiebat ad red-
 dendam rationem sufficere alteram positionem. Nā
 tenuitas, dicebat, videbitur etiam ei quæ cōmemo-

rata est aeris densitati adversari. neq; adsciscitur neq; cessariò. Ipsum enim à seipso inveteratum æs exspirat æruginem, quam densitas continens atque constringens, ob multitudinem adspectui exhibet. Sub hæc Theo: Quid verò, inquit, obstat ò hospes, quin idem sit & tenue & densum. sicut sunt serica & byssina texta. de quibus etiam Homèrus dixit:

Odyss.
107.

Linthea pexa, oleæ queis lentus defluit humor.

ostendens accuratam texturæ subtilitatem, quæ oleum non transmitteret, sed id ob densationem deflueret. Enimverò non tantum ad æruginem foras eruendam vti aliquis possit argumento à tenuitate aeris petito: sed & colorem ea videtur facere posse iucundiorum, quando cœruleo admiscetur. Secundum hæc silentio factò, rursus enarratores sacrorum oracula depromserunt. Ibi cum oraculum quoddam carmine editum recitaretur, de regno (nisi fallor) Aegonis Argiui: Diogenianus aiebat sæpenumero se admiratum fuisse versuum, quibus oracula exprimerentur, vilitatem atq; vitia. Atqui Apollinem musarum ducem esse, & ad quem non minus eloquentiæ, quàm cantilenæ & vocis elegantia pertineret, & qui Homerum Hesiodumq; longè antecelleret faciundia. tamen plerq; oracula & contra metri leges, & vocabulorum prauitate peccare. Aderat vnà Serapio poeta, qui Athenis eò venerat. Is, putatis ergo, inquit, versus istos Apollinis esse? Sinamus verò eos, vti dicitis, Homericis & Hesiodicis pulcritudine longè inferiores esse. an nō utemur iis vt optimè, & pulcerrius compositis, corrigentes iudiciū quod de iis praua cōsuetudine præoccupate fertur? Sub hæc Boëthius geometra, quē nosti iam in castra Epicuri transitum parare, Audistine, inquit, Pausoni pictori quid contigerit? Non sanè, aiebat Serapio. Atqui dignum est auditu, inquit Boëthius. Conduxerat is pingendum equum qui sese volutaret: pinxit currentem. & locatore iniquè id ferente, ridens tabulam inuertit,

*Carmina
Pythiæ qua
liā.*

vt inferis sursum elatis partib. equus iam nō currēs,
sed volutans sese videretur. Hoc ait Bio quibusdam
etiam orationibus accidere quando invertuntur. I-
taque & oracula aliqui nō dicent bene habere, quia

5 Deus eorum sit autor: sed Dei non esse, quia sint vi-
tiosa. Illud enim incertum est: non elaborata esse o-
racula, vel te, Serapio, iudice liquet. pangis enim car-
mina de rebus philosophicis & seriis, facultate autē,

10 atq; Hesiodea accedentia, quā ad versus à Pythia
editos. Tum Serapio, laboramus, inquit, aurium o-
culorūmq; morbo, adsueti ob luxum & molliciē sua
uiora quæ sunt, pulchra appellare. Fortasse autē Py-
thiam quoq; culpabimus. quōd nō canit iucundiūs

25 quā Glaucē fidicina, neq; vnguentis oblinitur, ne-
que purpuram gestat: ab aliis repræhenderetur qui-
busdam, quōd nō casiam, ladanum, thus, sed laurum
& hordeaceam suffit farinam. Non vides, aiebat, quā

30 ta sit venustas Sapphycorum carminum demulcen-
tium auditores? at Sibylla furente ore, vt ait Hera-
cletus, risus, ornatus, & fuci expertia sonans, Dei be-
neficio vocem ad crō annos continuat. Cadmum

35 quoq; Pindarus inquit ē Deo audiuisse non rectam
musicam, neq; suauem, neq; delicatum, neq; cantu
infracto. Voluptatem enim non admittit quod inte-
grum est & castum: sed hīc vnā cum voce proicitur

40 maxima eius pars, & (vt apparet) in aures hominum
confluxit. Hæc locuto Serapione Theo subridens,
Serapio quidem, inquit, morem suum seruauit, v-
sūsque est occasione oblata contra voluptatem dicen-

45 di. Nos autem, Boëthe, quōd Pythici versus Home-
ricis sunt deteriores, non censeamus Apollinis esse:
sed hoc initiū motus subiiciente, suo quanq; antisti-
tarum modo concitari. Etenim si scribenda fuissent,

50 nō enuncianda oracula, nō puto nos literas Deo im-
putaturos fuisse ac repræhensuros, quōd elegātia re-
gias nō æquarent. Non enim Dei est vox, nō sonus,

non dictio, non metrum : sed femina : ille duntaxat
 visa suggerit, lumenq; in animo excitat ad videndū
 futura. talis est enim instinctus furorve diuinus. V-
 niuersè autē, vt dicam, vos Epicurei vates (de quib.
 te quoq; esse apparet) effugere nō licet. Sed vitio da-
 tis priscis antistitis, q̄ malis vsq; sunt versibus; itē-
 que eas quæ hodie prosa oratione & quibusvis vo-
 cabulis responsa dant, ne cogantur apud vos causam
 dicere propter mutilos elumbesve versus. Hæc Dio-
 genianus, Noli, inquit, ludere obsecro, sed hanc no-
 bis difficultatem explica, communem omnium. ne-
 mo enim aliorum etiam est, qui non causam quærat,
 cur oraculum desierit versibus vti. At verò, subicie-
 bat Theo, rursus mi adolescens videbimur malicia
 quadam enarratores suo munere defraudare. eos er-
 go sine prius sua agere, postea per ocium disquires
 de iis q̄ voles. Iam progressi perveneramus ad Hie-
 ronis tyranni statuam. Et hospes quanquam reliqua
 omnia nosset, tamen pro sua facilitate auditorem se
 præbebat. verum audiens suprâ stetisse æream Hie-
 ronis columnam, quæ sponte sua cecidisset ea die,
 qua Hiero Syracusis mortem obiit, admirabatur. E-
 go similitum memoriam casum renouavi. qualis est,
 quod oculi è statua Hieronis Spartani exciderunt
 antè quàm ille ad Leuctra occubuit, quòd tum stel-
 læ perierunt, quas de nauali pugna ad Aegospota-
 mos dedicauerat Lysander. quòd ex ipsius statua
 Lysandri lapidea, tantum pullulauit syluestris her-
 bæ, vt faciem eius tegetet. quòd sub Siciliensem A-
 thenensium calamitatem aureæ glandes de pal-
 ma defluerunt, & Palladij scutum corui rostris tu-
 tulerunt. quòd Cnidiorum corona quam Pharsaliæ
 saltatrici Philomelus Phocæorum tyrannus dono
 dedit, eam è Græcia in Italiam profectam Metapon-
 ti perdidit, ludentem apud fanum Apollinis. nam ad
 coronâ impetu facto adolescentes dum de auro in-
 ter se pugnant, mulierem discerperunt. Aristoteles
 qui-

Prodigia.

quidem, solum Homerum ait mouentia facere nomina, ob efficacitatem. Ego autem dicere ausim, quotquot hæc sunt donaria, maximè vnà cū diuina providentia ea moueri, eiúsque significationem præbere: nullamque eorum partem inanem aut sensus vacuam esse, sed repleta omnia diuinitate. Nimirum verò, aiebat Boëthius. Non enim satis est deum quouis mense in corpus includere mortale: nisi eum etiam cum omni lapide & ære confundamus. quasi huiusmodi eventuum non habeamus satis sufficientem causam atque opificem Fortunam & casum. Itane, aiebam ego, horum quodvis tibi fortuitæ rei & casui videtur simile? & probabile putas atomos dilabi atque dissolui & inclinare non antè, nō post, sed eo ipso tempore quo is qui dedicauit aliquid vel bona vel aduersa vsurus est fortuna? Et tibi quidem nunc prodest Epicurus, iis scilicet quæ dixit aut scripsit ante annos ccc? Deus autem nisi includat seipsum in omnia, omnibusque permisceatur, nō videtur tibi motus adfectio- nisque principium rebus videre posse? Hæc ego respondēbam Boëthio. Similia etiam de Sibyllinis. Nā cum adstitissemus ad saxum curiæ vicinum, cui insedis- se dicitur prima Sibylla cū eò ex Helicone venisset, à Musis enutrita: (alij ad Maleonem aduenisse eam dicunt, filiam Lamiæ, quæ Neptuno nata fuit) Serapio mentionem fecit versuum, in quibus ipse se se celebrans, vaticinandi finem ne morte quidem facturam se ait: sed se in Luna circumire, mutatam in eam quæ dicitur in Luna apparere faciem: spiritum autem aeri temperatum, semper omnia suo motu editurum: è corpore autem in terra mutato herbas ac materiem exstituram, quibus sacræ pecudes nutriantur varios colores, formas, & qualitates viscerum habentes, vnde hominib. futura præmon- strentur. Hæc cū Boëthius apertè derideret, Zous: *De oraculo- rum fide di- men vaticiniis testimoniū ferunt multarū Græcarū sputatio.*

De Sibylla

vrbium excidia atq; migrationes, multorum barbaricorū exercituū irruptiones, imperiorū everfiones. Hæc verò quæ recens apud Cumas & Dicæarchiam acciderunt, nōne pridem Sibyllinis decantata carminib. tempus veluti debens perfoluit? eruptionē in quā mōtani ignis, feruorem maris, saxorū & maffarum flagrantium venti vi eiectionē, tot tantarūq; simul vrbium interitū, vt hodie qui ea loca accedūt, non possint cernere vbinam conditæ fuerint. Quē verò, aiebat Boëthus, mi homo, effectum tempus nō debet naturæ? quid non exspectari potest eventurū terræ, mari, vrbibus, hominibus, quod qui prædicat futurum, non erret? Immò ferè non prædicere hoc est, sed dicere, aut potiùs iacere & disseminare verba principio carentia in infinitatem: quibus vagantib. sepe numero occurrat fortuna, vt casu eveniant. Diuersa enim sunt hæc puto, fieri id quòd dictū est, & dici quòd futurum sit. & sermō qui ea dicit quæ nō sunt, in seipso vitiosus frustra exspectat fidem quam ei casus conciliet: neq; vero vtitur argumento prædicendi, sciens postquam dixit futurum, omnia ferè te infinitate, & * bene coniiciens, quem optimū vatem proverbium affirmat esse, investigāti per probabilia atq; indaganti futurum similis est. Sibyllæ aut istæ & Bacides tanquam in mare promiscuè in tempus cōiecerunt, & vt in buccam venit disseminaerunt nomina & verba omnis generis eventuū. quorum quædā cū fortuitò evenerint, similiter falsum est quod nūc dicitur, etiā si postmodò verum fiat re contingente. Hæc locuto Boetho, Vera est, inquit Serapio, hæc sententia de his quæ ita prædicuntur sicut Boethus dixit, indefinitè & incerto argumēto: puta si vicit imperator, cui prædicta fuit victoria, si vrbs deletur cui excidium prædictum est. Vbi autē non modò quid futurum sit, sed etiā quomodo, qñ, qua occasione, quo autore, prædicatur: non hoc est coniectatio fortasse futuri, sed certò futuri prædictio.

Cio. Tale est oraculum de claudicatione Agefilai.

Sparta caue, quamuis altè te gloria tollat,

Rex ualidæ tibi det pedibus ne incommoda claudis:

Namq; insperatos cogèris ferre labores,

Pestiferosq; diu belli subsistere fluctus.

Et illud de insula, quã ante Therã & Therasiã edidit mare, deq; bello Romanorum cum Philippo rege.

Sed quando Pœnos uincet Troiana propago,

Tunc incredibiles mortalibus euenient res.

Immensa canum fulgebit tum mare flamma,

Fulminaq; arduos per cœrula uasta procellas

Torquebunt, saxumq; simul: quod & insula stabit

Firma loco, nulliq; hominum de nomine nota.

Tum quoq; præstantem superabunt deteriores

Vi propria freti, atq; inuidæ robore dextræ.

Quòd enim Romani breui temporis spacio Cartha-

ginienfes subegerunt debellato Annibale, & ab iis-

dem ac Aetolis Philippus prælio victus est, ac tandè

è profundo insula erupit cū multo igne & vndis bul-

lientibus: hæc nemo dicere potest simul omnia for-

uito casu evenisse. Sed ordo prædictionem indicat.

vt & hoc, quod Romanis ante annos ferè 10 prædi-

ctum est tempus, quo bellum aduersus omnes simul

gentes gesturi essent: quod factum est, bello aduer-

sus rebelles seruos suscepto. In his verò nihil est in-

certum, nihil obscurum, & cuius causa esset à Fortu-

na repetenda: sed multa experientia pignora præ-

bentur, quæ viam monstrat, qua fatum incedit. Non

enim puto quenquam dicturum, quod cum his sicut

prædicta fuerunt, inciderit fortuitò. Alioquin etiã

quid impedit aliũ, sicut scripsit Epicurus suas ratas

sentetias, Boethe * sed fortuito casu: sic rebus in-

ter se coincidentib. liber absolutus est. Simul his di-

ctis progressi sumus. Cùm aut in Corinthiorum do-

mo spectaremus æream palmã, quæ sola donariorum

est reliqua, torno insculptæ ad radicem ranæ & hy-

*Ranarum
in palma
symbolum.*

dri Diogeniano admirationem iuiecerūt, atq; adeo nobis quoq;. Non enim palma vt aliæ arbores palustris est aut aquæ amans planta: neq; Corinthius cū ranis quicquam rei est, vt pro nota aut signo eius vrbis haberi debeant: quomodo Selinuntij quondam aureum apium (Selinum) dedicasse dicuntur, & Tenedij securim, à cancris qui apud eos nascuntur ad locum cui Asterium nomen, foli in testa formam securis expressam gestantes. Iam ipsi deo coruos, olores, lupos, accipitres, & quidvis potiùs quàm ranas acceptum esse censemus. Serapio ad hæc cum dixisset, innuisse opificem hoc, Solem nasci & ali ex humore & exhalationibus: siue Homerum is audiisset ita loquentem:

Odyssey,
initio.

Iam stagnum exoricens Phæbea relinquit amœnum

Lampas. —

siue Aegyptios vidisset orientem Solem exprimere picto puerulo qui loto insideret. ridens ego, Quorsum, inquam, bone vir denuò huc Stoam tu contradis, ac disputationi sensim inflamationes istas & exhalationes inferis? non sicut Thessalæ mulieres Lunam & Solem cœlo devocas, dum hinc à terra oriri & vegetari eos ais? Nam Plato quidem ipsum hominem appellauit plantam cœlestem, quasi à radice supernè capite erectum. Vos autem Empedoclè deridetis, qui dixisset Solem cū in terra luminis reflexu cœlestis exstitisset, rursus resplendentem

Intrepido vultu cœli conuexa tueri.

& ipsi interim Solem facitis animal terra natum aut palustrem plantam, eūmq; ranarum patriæ & aquæ accensetis. Verùm hæc nos in Stoicam tragicædiā differamus. quæ verò artifices obiter præter institutum fecerunt, nos quoq; obiter & aliud agentes examinemus. Sunt quidem in multis elegantes: sed ineptias & curiositatem non vbique euitant: sicut ergo qui gallum super manu Aesculapij pinxit, matutinum

vinum voluit significare tempus, & Solis ortum appetentem: ita hæc ranas aliquis possit vernæ tépe-pestatis symbolum interpretari, quando Sol aeri dominari, & hyemem discutere iucipit. siquidem de vestra sententia Sol & Apollo non duo dii, sed vnus sunt habendi. Tu verò, aiebat Serapio, non idem sentis, sed Apollinem à Sole alium esse censes? Omnino, inquâ, sicut Luna à Sole differt. verùm Luna neque sæpe, neq; omnibus Solem occultat. Sol autem
 10 ferè apud omnes homines vt ignoretur Apollo effecit, sensu intelligentiam auertens ab eo quod est ad id quod apparet. Deinde Serapio ex enarratoribus quæsiuit, Cur domum non Cypseli qui dedicauit, sed Corinthiorum nominent. Qui cum taceret,
 15 quia (puto) causa quam redderent destituebantur, ipse renidens: Quid verò, inquam, putamus istos iâ scire aut meminisse, stupefactos planè nostro de celestibus rebus garritu. Ante quidem eos audiuius dicere, tyrannide eversa voluisse Corinthios & auream Pisæ statuam, & eum qui hæc est thesaurum vrbis suæ transcribere. Atq; id Delphos, vt iustum, concessisse. Eleos, quòd inuidissent eam ipsis gloriam, decreto Corinthiorum fuisse Isthmia festiuitate prohibitos: quare postmodo nullus Eleorum Isthmia
 25 certauit. Quod autem Molionidæ ab Hercule apud Cleonas sunt occisi, id nihil fecit ad excludendum Eleos, quod nonnulli opinantur. contrà enim ipsis conveniebat arcere, si ea de causa Corinthios offendissent. Hæc ego tum dixi. Cum autem Acanthiorum & Brasidæ thesaurum nobis transeuntibus nobis
 30 interpretes locum monstraret, in quo ferrei obelisci Rhodopidis meretricis quondam fuerant siti: succensens Diogenianus, Fuit omnino, aiebat, eiusdem ciuitatis Rhodopidi locum præbere, quò decimas suarum mercedum deponeret, & Aesopum eius conseruum interficere. Et Serapio: Cur, inquit, isthæc tu indignè fers? quin oculos attollis, & auream inter

Meretricum honores.

*Varia eius-
dem homi-
nis nomina*

imperatores ac reges stantem Mnesaretam contem-
plaris, quam Crates aiebat trophæum de intempe-
rantia Græcorum esse statutam. Quam cum vidisset
adolescens, Atqui, dicebat, de Phryna hoc Crates
pronunciauerat. Næ respondebat Serapio. Mnesa-
rete enim nomen fuit, sed Phrynes cognomentum
tulit ob pallorem. Multa autem nomina videmus
ab cognominibus occultari. Alexandri quidem ma-
trem Polyxenam, porrò Myrtalem, Olympiadem, &
Stratonicam dictam perhibent. Eumetin quoq; Co-
rinthiam pleriq; à patre Cleobulo Cleobulinam vo-
cant. Herophilam Erythream fatidica quòd esset,
Sibyllam appellauerunt. Grammaticos quoque au-
dies Ledam Nemesis, Orestem Achæi nomine adfi-
cientes. sed quomodo tu censes, (Theonem adspi-
ciens hæc dicebat) hoc de Phryna crimen posse di-
lui? Ad hæc subridens Theo: Ira sanè, inquit, vt præ-
tereā etiam te culpem, qui leuissima Græcorum pec-
cata infeceris. Sicvt enim Socrates in Callia id re-
prehendit, quòd vnguento tantum inimicus, salta-
tiones puerorum, in caput provolutiones, oscula,
fanniones videret æquo animo: ita tu planè mihi vi-
deris à templo arcere mulierculam non liberaliter
forma & ætate sua vsam: cum autem videas cædiū,
bellorum deprædationumq; primitiis ac decimis in
orbem cingi deum, non indignari, non miserari Græ-
cos, pulcerrimorum donariorum turpissimas legēs
inscriptiones hæc: Brasidas & Acanthij de Athe-
nienfibus, Athenienses de Corinthiis, Phocenses de
Theffalis, Orneatæ de Sicyoniis, Amphictyones
de Phocensibus. Nimirum autem soli Praxiteli Cra-
tes succensuit, qui hoc suæ amasiæ donum dedisset.
cum laudare eum debuerit quòd aureis istis regibus
apposuit aureā meretricem, diuitiis hoc exprobrās,
quòd nihil venerabile eis inest, nihil admirabile. Iu-
sticiæ enim donaria, temperantiæ, magnanimitatis
dedicare diis reges & principes conveniebat: non
aureæ

aureæ & luxuriosæ abundantia, quæ obtingit interdum etiam turpissimè viuentibus. Id verò non com- *Cræsus ab*
 memoras, aiebat alter interpretum, quòd Cræsus *ancilla fer-*
 hæc etiam ancillæ suæ panem pinsentis auream sta- *uatim.*
 5 tuam posuit? non quidem ille per luxuriam insultas
 templo, sed causam nactus iustam atque honestam.
 Traditum est enim Alyatten Cræsi patrem inducta
 filio nouerca alios sustulisse liberos: nouercâ Cræ-
 10 so insidiantem, svenenum prstrici dedisse, ac iussisse
 vt panem ex eo effictum Cræso daret. eam re clan-
 culum Cræso indicata, panem nouerce pueris istum
 apposuisse. itaque Cræsum regno potitum, velvti te
 ste Deo gratiam bonam mulieri retulisse, laudabili
 15 sanè instituto. Itaque dignum est etiam vrbium si
 qua sunt talia donaria, ea venerari: quale in primis
 est Opuntiorum. Cùm enim Phocensium tyranni
 multa aureorum & argenteorum donariorum con-
 flauissent, & ex ea massa cusam monetam per vrbes
 20 dispersissent, Opuntij tātum collegere, vt hydriam
 ex eo argenteam conficerent, eamque hæc dedicaue-
 runt. Ego autem Myrinæos quoque & Apolloniatas
 laudo, qui aureas messes huc miserunt. magis etiam
 Eretrienes ac Magnetæ qui hominum primitiis De-
 25 um donauerunt, vt frugum datorem, paternum, ge-
 nitalem, ac humanum. Megareses autem culpo,
 quòd soli ferè Deum hæc hastatum posuerunt de pu-
 gna, qua post bellum Persicum Athenienses, qui vrbē
 ipsorum obtinebant, victos eiecerunt. Postea qui-
 30 dem temporis aureum Deo plectrum dedicauerunt:
 obtemperantes, vt apparet Scythino, qui sic de lyra
 scripsit:

Concinnat hanc Apollo filius Iouis:

Formosus, initia, finesq; omnes continens,

Plectrumq; splendidum Solis radios habens.

Hæc cùm Serapio aggrediretur aliquid de istis dice-
 re, hospes: Iucundū quidem, inquit, est huiusmodi

H h h iij

audire sermones. me autem necessitas cogit primū
propositum reposcere de causa, cur Pythia desierit
heroico aliisque carminibus oracula edere. Itaq; si
vobis est volētibus, reliquum spectaculi in aliud re-
iicientes tēpus, huc adfideamus, eaq; de re commen-
temur. Nā hęc potissimū ratio est, quæ oraculo fidē
derogat: q̃ alterutrum horū videtur esse, aut Pythiā
non accedere ad locum in quo numen est, aut spiri-
tum prorsus extinctum esse, & vim defecisse. Cir-
cumeuntes ergo consedimus in meridianis sedili-
bus templi, ponē fanum Telluris: in aquam contuen-
tes, vt statim dixerit Boëthus, ipsum locum hospitis
dubitationi patrocinari. Erat enim ibi ad laticū ex-
spirationem delubrum Musarum. vnde & ad libatio-
nes aquam sumebant, vt ait Simonides.

Vnde pollubris manuum latex pulcricomarum.

Musarum sursum hauritur.

rursusq; idem paululum exquisitius, Cleonem vō-
cans castam procuratricem, ait

Malluiorum optabilis. rara, & ueste carens aurea

Odorata ex ambrosiis aqua penetralibus.

* Non rectē ergo Eudoxus credidit iis, qui hanc aquā
Stygis vocari dixerunt. Musas verò vaticinio collo-
cauerunt adsidentes, eiūsque custodes ibi ad aquam
& Telluris templum, cuius dicitur ipsum fuisse ora-
culum * numeris & carmine contentam diuina-
tionem. Quidam etiam primum heroicum versum
ibi aiunt auditum:

Congerite huc pennam uolucres. & apes sua mella.

* quando obnoxia Deo facta amisit maiestatem. Tū
Serapio: æquiora, inquit, hęc Boëthe, & musis magis
congruentia. Non enim repugnandum est Deo, ne-
que simul cum vaticinio providentia & numen tolli
debent: sed quærendæ sunt eorum quæ aduersari vi-
dētur solutiones, interim pia & à maioribus ad nos
pro-

propagata persuasio non est prodenda. Rectè dicis,
inquam ego, optime Serapio. Nam philosophià quo
que non ideò pro deplorata habemus prorsus aut
corrupta, quia antiquitus carmine suas sententias
5 philosophi proferebant, vt Orpheus, Hesiodus, Par
menides, Xenophanes, Empedocles, Thales: postea
verò desierunt versibus vti, te demto: cuius opera
rursus in philosophià poëtica se ingerit, adolescen
tibus classicum ingenuè canens. Neq; astrologiam
10 contempnitiorem reddiderunt Aristarchus, Timocha
ris, Aristyllus, Hipparchus soluta oratione eam de
scribentes: cùm de ea antè carmine scripsissent Eu
docus, Hesiodus, Thales, si quidem is autor verè est
eius quæ ipsi inscribitur astrologiæ. Pindarus quo
que de modo cantilenæ neglecto sua ætate dubita
15 re se fatetur, & mirari quòd * Non enim iniquum
est aut absurdum, causas quærere huiusmodi muta
tionum: iniustū verò est artes ipsas & facultates abo
lere, si quid in iis mutatum sit. Sub hæc Theo. Atqui
20 isthæc, inquit, magnas reuera mutationes & innoua
tiones passa sunt: oracula multa etiā dudū prosa ora
tione sunt edita, ac de reb. ea haud leuibus. Lacedæ
monis, vt scribit Thucydides, de bello cōtra Athe
nienſes oraculū scitantib. Deus victoriā pollicitus
25 est, seq; vocatum & non vocatū auxilio futurum. Et
Pausaniam si non reducerent argentea * colle
ctum ire. Atheniensibus de expeditione in Siciliam
consulentibus mādauit, vt antistitam Mineruæ quæ
Erythris erat, ducerent. Ei nomen erat Hesychia,
30 quod significat quietem: & cessare ipsos ac quiesce
re Deus volebat. Denomeni Siculo de filiis oracu
lum petenti, respondit tres tyrannidem gesturos:
cūque subiecisset Denomenes, Quæ res nimirum
Apollo domine iis vertet malè, Respondit Deus, id
35 quoque se ei dare ac promittere. scitis autem Gelo
nem aqua intercute, Hieronem calculo renum di
vexatos tyrannidem gessisse. tertius Thrasybulus

Lib. I.

Oracula so
luta oratio
ne edita.

bellis seditionibúsq; conflatus, imperio, quod non diu tenuit, eiectus fuit. Procles Epidauri tyrannus cum alios multos crudeliter nefarieq; necauit: tum Timarchum, quem Athenis venientem cum pecunia hospitio comiter exceperat, interfecit, cadauérque eius storea involutum in mare abiicit, vsus ad hæc Cleandri Aeginetæ opera, aliis ignorantibus. Postea rebus ipsius conturbatis huc misit Cleotinum fratrem arcanè consulturum de exilio & migratione. Huic respondit Deus, Fugam se eò & migrationem Procli concedere, quò is stoream deporni ab Aegineta hospite iussisset, aut quò ceruus cornu abiicit. Intelligens itaque tyrannus, sibi à Deo imperari vt vel in mare demergeret seipsum vel defoderet, (nam cerui cornua delapsa in terram defodiendo tollunt è medio) paululum temporis expectauit: deinde rebus planè pessum euntibus profugit. nacti autem eum amici Timarchi interfecerunt, cadauérque in mare proiecerunt. Quod verò maximum est, rhetræ illæ, secundum quas Lacedæmoniorum temp. Lycurgus composuit, soluta oratione ei datæ sunt. Iam cum Alyrius, Herodotus, Philochorus, & Ister, qui maximè in id incubuerunt vt carmine dicta oracula conscriberent, oracula etiam profusa oratione edita retulerint: Theopompus, quo nemo hominum diligentius oraculi huius res scrutatus est, vehementer eos repræhendit, qui putarent istis temporibus Pythiam carmine non respondisse: & cum demonstrare vellet suam deinde sententiam, admodum pauca oracula potuit proferre: quia nimirum reliqua iam tum soluto sermone ederentur. Nonnulla tamen hodièque carmine redduntur: quorum causa etiam rem celebrem fecit. Est in Phocide templum Herculis mulierû osoris, & statutum vt sacerdos toto anno mulieribus se abstineat. itaq; ferè senibus id sacerdotium committitur. Tamen paulo antè tempore adolescens non malus, & liberali

rali ingenio, id munus occepit, puellam quandam
 tum amans. Is cùm ab initio continens suique po-
 tens amasiam fugeret, quodam tempore eam, cùm
 ad ipsum quieti post cõuiuium & choreas deditum
 5 irrueret, confecit. Metuens ergo sibi & turbatus, ad
 oraculum confugit, quæfuitq; an aliqua sui peccati
 esset expiatio: hocque illi datum est oraculum: Om-
 nia necessaria concedit Deus. Enimverò dans hoc *
 aliquis, nihil sine numeris hodie responderi, magis
 10 adhuc dubitauerit de priscis temporibus, cùm ali-
 quando soluta, interdum numeris adstricta oratio-
 ne fata Deus cecinerit. Sed neutrum, mi adolescēs,
 à ratione est alienum, modò rectas & puras de Deo
 habeamus opiniones: neq; putemus ipsum esse qui
 15 olim carmina composuerit, & nunc Pythiæ oracula
 subiiciat, tanquam per laruas ipse loquens. Sed rur-
 sum par est de his aliquid prolixius disserere ac per
 cunctari. In præsentia paucis hæc in memoriam re-
 vocemus, quòd corpus instrumentis utitur multis,
 20 corpore & eius membris animus, qui est instrumen-
 tum Dei. Est autem virtus instrumenti ut quàm ma-
 ximè qua fert natura eius facultate imitetur vten-
 tem ipso, opusque edat * notionis in ipso potens:
 ostendere autem nequit opifici purum, & motus er-
 25 rorisque vacuum, sed mixtum * Per se enim nobis
 ignotum est. aliud autem & in alio apparens imple-
 tur eius natura. Ac ceram quidem mitto, aurum, ar-
 gentum, æs, & quæ alia fingi possunt, excipientia v-
 nam formam impressæ similitudinis: aliud autem a-
 30 liam differentiam imitando apponit. Et in speculis
 planis ac cauis & circum splendentibus simulacro-
 rum ab vna forma innumeras effigies. sunt enim *
 nihil neq; speciem magis, neq; ut instrumentũ vsur-
 pari natura obsequentius potest, quàm Luna. Hæc
 35 splendorem à Sole accipiens & igneum lumen, non
 simile ad nos demittit, sed cum ipsa mixtum, colo-
 rem vimque diuersa nanciscitur. calor etiam pror-

*Enthusia-
smi qualis
motus.*

sus discedit, & præ imbecillitate lumen deserit. Pu-
to autem intelligi id quod ab Heracleto est dictum,
Regem cuius oraculum Delphicum est neque dice-
re neque occultare, sed significare. His rectè dictis
adiunge illud & considera, deum hæc Pythia uti ad
visum, ad auditum, sicut Sol utitur Luna. demonstrat
per corpus mortale & animam * quietem ducere,
non potest autem mouenti immobilem se præbere
& sibi constantem: sed tanquam æstu & fluctib. exa-
gitatur ac cōturbatur motibus qui in ipsa sunt. Sic- 10
ut enim vertigo corporum quæ circulo rotantur
deorsum, nō constanter obtinet, sed circulo delata
violenter, & natura deorsum vergentia turbidam
quandam & incertam faciunt volutionē. ita qui en-
thusiasmus vocatur diuinus instinctus, videtur mi- 15
xtio quædam esse duarum motionum, quarum alte-
ra secundum adfectionem, altera secundum naturam
fit animi. Quando enim animæ expertibus corpori-
bus & suo in statu permanentibus contra eorum na-
turam vim hanc inferre non licet, ut si Kyliudrum 20
moueas Sphæræ aut cubi in morem, aut lyra pro ti-
bia, buccina pro cithara utaris: neque aliter ars vna
quavis re uti potest quàm eius fert natura. multo mi-
nùs animum motu suo sese cientem, ac impetu & ra-
tione præditum aliter quàm insita ei vis aut habitus 25
ferat, usurpare possis: neque vlllo pacto mens musi-
cæ exfors musicæ, litterarum rudis litteratè, indocta
& inexercitata doctè mouebitur. Testem habeo et-
iam hæc Homerū, qui cū nihil ferè effici sine deo
scribat, tamen non facit deū omnib. ad omnia uten- 30
tem, sed quolibet ad id, quod eius arti aut faculta-
ti congrueret. An non enim vides mi Diogeniane,
aiebat, Mineruam cum persuadere aliquid Achæis
vult, Vlissem ad hoc excitare? cū fœdus confun-
dere, Pandarum quærere? cū Troas in fugam ver- 35
tere, ad Diomedem se conferre? quia nimirum Dio-
medes robustus erat & pugnax, Pandarus sagittan-
di pe-

Iliad. β, 169.

Iliad. δ, 88.

Iliad. ε, 121.

di peritus & fatuus, Vlisses prudens & facundus. Non enim idem sensit Homerus cum Pandaro: si tamen Pandarus author huius est versiculi,

Deo uolente, saligno in uimine nauiges.

- 5 sed intellexit aliarum naturarum esse facultates ad alias res : & suo quanque moueri modo, quātumvis vnicum sit quod omnes mouet. Proinde sicvt rem gradiendo destinatā mouens non incitat ad volatū, neq; blāsum ad liquidè loquendū, neq; tenui voce
- 10 hominem ad sonorū sermonem: sed Bartiū etiā propterea puto cū hac oraculum consulisset, in Africam fuisse missum vt Cyrenam cōderet, quia balbus homo & exili voce, ingenio ad regnum gerendum apto erat & ciuilis ac prudens. sic Pythia hac disse-
- 15 rendi vt quisquam hominū indiferta, alioquin ingenua & vitæ honestè actæ, educata in domo pauperū rusticorū, nihil ab arte aut alia experientia vel facultate secum ferens, in oraculum descendit. Sed sicvt
- 20 Xenophon censet sponsam ita debere in mariti domum venire vt quā minimum viderit, quā minimum audiuerit: ita hac imperita & ignara tantū non omnium, & verè quod ad mentem attinet virgo, ad Deum accedit. Sed nos deum credimus erodii, trochilis, & coruis vti, vt earū auium voce ali-
- 25 quid significet, neque hoc postulamus, vt quia deorum nuncij & præcones sunt, disertio omnia sermone enarrent: Pythiæ vocem & loquelam tanquam è scena volumus non inconditam, non simplicem, sed cum numero, fastu, figmentis, nominum translationibus, & tibiæ cantu nobis offerri. Quid ergo de antiquis dicemus? Non vnum, puto, sed multa. Primum enim sicvt diximus, pleraque illæ etiam soluta oratione pronunciauerunt. Deinde corporum quoque temperies & naturas illud tempus tulit ad poë-
- 30 sin procliuiore: quibus statim studium quoddam accidit & alacritas apparatusque animi, & promptitudo gignitur, quæ leui extrinsecus principio & ex-

hortatione facultatis imaginantis opus habeat, quæ
 * statim trahantur ad carmen pangendum: nō modò,
 vt Philinus inquit, astrologi & philosophi, sed etiā
 in vino copiosiore, aut animi adfectionibus grauio-
 ribus, miseratione aliqua aut gaudio oborto dila-
 buntur ad suaue sonantem vocem, amatorisq; car-
 minibus & cantilenis libri & conuiuia sunt repleta.
 Et quod Euripides ait, eum qui antè à Musis sit alie-
 nus musicam ab Amore doceri, non hoc vult, facul-
 tatem poëtices ac musicæ ab Amore ingenerari: sed
 insitam ac ociosè latentem excitari atque caleferi.
 Alioquin, hospes, dicendū est neminem hodie ama-
 re, sed Cupidinem euanuisse: quia nemo versibus &
 cantilenis iocosis, vt ait Pindarus, iaculatur dulci-
 sonos hymnos. Atqui absurdum hoc est. Nam mul-
 ti amores hominum insiti animis ad musicam se-
 gnibus & malè compositis, vt tibia & lyra carent, lo-
 quaces tamen & feruidi haud minùs sunt quàm an-
 tiqui illi. Et nefas turpèq; sit dictu, amoris exsortem
 fuisse Academiam, ac Socratis & Platonis chorum:
 quorum sermones licet legere amatorios, cùm car-
 mina nulla reliquerint. Quid verò interest vtrum
 dicas solam de mulieribus Sapphonem amoris de-
 ditam fuisse, aut solam Sibyllam, & Aristonicam,
 aliàsque carmine sortes quæ dixerunt, diuinas? Vinum
 quidem, vt aiebat Chæremon,

Bibentium contemperatur moribus:

at diuinandi furor, vt & amoris, vtitur subiecta sibi
 facultate, & eo correptorū vnumquenq; pro ipsius
 mouet ingenio. Enim verò Deū quoq; & Prouiden-
 tiam considerantes, videbimus mutationem in me-
 lius esse factam. Vfus enim sermonis, similis videtur
 esse mutationi nomismatis: quorum vtrunque aliud
 alio tempore valens, tum probatur cùm notum est
 & vsitatum. Ac fuit sanè tempus, cùm pro nomi-
 smate sermonis homines vterentur metris, carmi-
 nibus, cantilenis, omnem historiam, omnem phi-
 losophiam,

*Oratio mo-
 neta similis.*

losophiam, omnes denique eventus & res grauiorem
 requirentes orationem, ad poëticam & musicam applicantes. Non enim nunc tantum vix pauci
 intelligunt quæ tunc omnes percipiebant, gaudebântque ea cum cantarentur opiliones, aratores, &
 aucupes, vt Pindarus ait: sed ob illius ætatis ad poë. *I. Isthmior.*
 fin facilitatem plerique lyra & carmine castigabant
 aliorum mores, liberè loquebantur, hortabantur, fabulis & proverbiiis utebantur: quin & laudes deorum,
 vota, prænes versibus & carmini includebant, alij ob vim ingenij, alij propter consuetudinem. Itaque
 varicationi etiam Deus elegantiam & ornatum non invidit, neque Musas in honore alibi habitas
 hinc à suo tripode abegit: sed adduxit potiùs, poëticas amplexus indoles, atq; visa ipse subiiciens,
 & excitans alacrem facundiam, vt concinnam, & quæ in admiratione esset. Sed postquam vitæ vnâ
 cum eventis & ingeniis facta mutatione, vsus supervacaneis reiectis aureis sese cincinnis exuit, & molibus
 xyistidibus, comam quoque luxuriantem detondit, ac cothurnum deposuit, iamque homines
 frugalitate adversus luxum certare haud ineptè adfueverunt, plûsq; ornatus in simplici cultu ac tenui,
 quàm supervacaneo & proteruo ponere: ibi tû orationis etiam simul mutato habitu, historia à carmine
 tanquam vehiculo descendit, & maximè pedestri sermone verum à fabulis secrevit. philosophia
 quoque perspicuitatem & docendi vim iis quæ tererent animos antiquiora ducēs, soluto sermone
 disputationes suas instituit. & Pythiam Apollo definire iussit morem suum, ciues Delphicos ignicremorum,
 Spartanos anguiuorum, oreanorum viros, orempetarum fluuios nomine notantem. oraculisq;
 detrahens carmina, obscuras voces, ambages, perplexitatem, ita eam iussit consulentibus responsa
 dare, vt leges cum ciuitatibus, reges cum populis, magistri cum discipulis loquuntur, ad evidentiam &

probabilitatem ea accommodans. Probè tenendum est, Deum (vt ait Sophocles.)

Sapientibus per ambages fata eloqui,

Fatuis magistrum prorsus esse inutilem.

Illata oraculis peripicuitate, fides etiam sic mutauit cum aliis rebus: vt cum antiquitus quod insolens rarumq; esset, planèq; obscuritate & circuitiionibus obductum, plerique sub opinione diuinitatis aliquius pauidi venerarentur: postea apertè omnia & facilè, ac sine fastu & figmentis discere cupientes, poësin quæ oracula velabat incusauerint. non tantum quia aduersaretur intelligentiæ in vero percipiendo, obscuritatem & vmbra[m] dictis admiscens: sed quod iam translationes & ænigmata atque ambiguitates, diuinationis quasi quosdam fucos, & ef- fugium quibus ea se tueretur si quid secus evenisset, suspecta haberent. Multos quoque audiuiſſes, qui dicerent poëtas quosdam etiamnum apud oraculum desiderare, qui voces exciperent, iisq; subito versus & numeros tanquam vasa quædam circum- plicarent. Taceo quantum criminis oraculis attulerint Onomacriti illi, Prodotæ, & Kinesones, vt qui tragœdiam iis fastumque supervacaneum apposuis- sent. * neque adesse mutationes. Maximâ poësi infamiam parauerunt circumforanei isti & circulato- res, & scurræ magnæ Matris deorum ac Serapidis vagi: quorum alij ex tempore, alij forte quadam ex quibusdam libellis oracula dabant, seruis & mulierculis, quas maximè numeri & nomina poëtica mouerent. Quæ non minima fuit causa, cur poëtica tanquam communem se quæ videretur præbere impostoribus & præstigiatoribus ac falsis vatibus, tripode & veritate arceretur. Non itaque miror, si veteribus interdum opus fuit ambiguitate, circuitiione, & obscuritate quadam. Neq; enim priuatus aliquis profectò de emendo mancipio oraculum consulēbat, aut de conducendo opere: sed ciuitates admo- dum

*Antiqua o-
racula cur
versibus di-
cta.*

dum potentes, regésque & tyráni nihil moderatum cogitantes Deum interrogabant de rebus: quos iritare multa respondendo eorum voluntatibus adversa, non erat ex vsu eorum qui oraculum procurabát.

5 Nam non obtemperat Euripidi deus legem hanc ferenti, Apollinem solùm canere fata hominibus debere. Ergo cùm vtatur ministris & vatibus mortali-
bus, quorum eum par est curam gerere & custodire eos, ne deo sacri à malis interficiantur homini-
10 bus: non vult veritatem opprimere, sed eius explanationem poësi pervertens velut splendorem variè reflexum & in multas diffissum partes, duriciémque eius hoc pacto & rigorem aufert. Poterant etiam tyranni ignorari, & bella non præsentiri. his igitur cir-
15 cumdabat suspiciosa verba & ambigua: quorum sententia aliis ignota, consulentes non falleret, si animum adverterent. Stultissimus itaque est, qui calumniatur & culpat quòd rebus ita mutatis deus nõ quo antè, sed alio nobis modo vult prodesse. Por-
20 rò autem nulla maior orationi à poëtica vtilitas conciliatur, quàm quod numeris illigata & comprehensa faciliùs memoria tenentur ac seruantur. Antiquis verò multa opus fuit memoria, quib. mul-
tæ locorum notæ, tempora agendi, sacra deorum
25 transmarinorum, heroum reliquiæ occulta, difficilésque inventu, & longè à Græcia dissitæ indicabantur. Nam in Chium & Cretinum & * Nesi-
chum & Phalanthum, multósque alios expeditionum duces, qui coacti sunt signis quibusdam vti in
30 inveniendò loco sedis & coloniæ concessò. Quidam etiam aberrauerunt, vt Battus. Huic enim dictum fuit, eiectum iri, si non eum occupasset locum in quem mittebatur. deinde rediit quiritās. & deus sic respondens:

35 *Vrbs pecoris diues Lybie mea, non uenienti
Notior est tibi, quàm qui uenit. per mihi multum
Admiranda tua est certè sapientia uisa:*

hic eum denuò emisit. Lysander verò prorsus ignorans tumultum Orchalidem, qui & vulpium dicitur, & Hoplitam fluuium,

Terrigenamq; draconem à tergo qui subit asit:

prælio victus in illis locis interfectus est ab Inachione Haliartio, qui in scuto insigne ferebat serpentem. Neque necesse est apud vos horum probè gnaros plura id genus retentu & memoratu difficilia oracula antiquis data recitare. Res verò nostræ ætatis de quibus consulatur deus, ego quidem boni consulo & probò. Altum enim ocium est, & firma pax, finis bellorum & errorum, nullæ seditiones, tyrannides nullæ, neque alij morbi aut mala Græciæ, quæ veluti multiplicibus medicamentis exquisitisque indigeant. Vbi autem nihil est varium, arcanum, arduum, sed rebus vilibus & vulgaribus quæstiones tanquam in schola proponuntur, An contrahendum matrimonium, an nauigandum, an fenerandum: & vbi maximæ ciuitatum interrogationes de frugum & pabuli provectu, de valetudine: ibi carmina circumponere, & fingere verborum ambages & notas quæstionibus simplici & breui responso opus habentibus, ambitiosi fuerit sophistæ, qui oraculum gloriæ captandæ causâ fucet. Pythia autem cum ipsa indole est generosa: tum si descendit ad cortinam, & cum deo est, ampliùs * quàm ipsa curet gloriam, & hominum vel laudes vel vituperationes. Ac fortasse nos quoque sic debebamus esse affecti. Nunc veluti solliciti ne decus ter mille annorum locus amittat, & oraculum quasi sophistæ cuius scholam deserant nonnulli cõtèmnentes, defendimus & causas rationesque fingimus de iis rebus quas neque scimus, neque scire nos convenit: incusantesque dictis conamur in aliam pertrahere sententiam, quos missos facere potiùs debebamus. Etenim

Odys. B, 190

Ante alios erit huic multo certè ægrius ipsi.

qui

qui sic de diis sentit, vt hæc in aditu scripta sapientum dicta, Noris te ipsum, Ne quid nimis, probet, admireturque haud minimè ob breuitatem, quòd solidam & compactam in exigua mole habent sententiam: oracula autem culpet, quia breuiter, simpliciter, ac rectà pleraque indicant. Ac talibus quidem sapientum dictis idem vsu venit, quòd in angustias contrusis fluminibus: non enim perspicit quit sensus, neque * Sed si consideres quid scriptum sit & dictum de eis ab his qui singulorum scrutati sunt sententiam, nò facile vllas prolixiores inuenies disputationes. Enimverò vt lineam rectam mathematici vocant breuissimum ab vno ad alterum terminum ductum: sic Pythiæ sermo absque vllò flexu, circuitu, ambiguitate, fraude, rectà ad veritatem proficiscens: quanquam de sua fide causæ dictionem non possit detrectare, tamen falsi à nemine in hunc vsque diem convicta est: sed donariis barbaricis Græcanicisque oraculum 20 oppleuit. ædificiorum autem & Amphictyonicorum apparatus elegantia videtis nimirum ipsi pleraque iis adiecta, quæ antehac non erant, multa eorum quæ iam ruinâ traherent & pessum irent refecta. Sicut verò arboribus secundis aliæ suppullulant: ita etiâ iuxta Delphos pubescit & adolescit Pythiæ ob copiam eorum quæ hæc sunt figuram adeptæ formamque & ornatum templorum, curiarum, æquarumque lustralium, quanta mille ab annis præcedentibus non habuit. Equidem ad Galaxiû Bœoticiæ qui habitant, abvndantia lactis senserunt præsentiam dei:

Cum lac, seu latice de fontibus, emanaret:
Doliq; implerent avidè: tunc amphoræ & utres,
35 Seria tunc albo turgeret cuncta liquore,
Mulstraq; & è ligno distentas rumperet urnas
Humor, nec uacuas superarent uasa per ædes.

Nobis autem Apollo splendidiora, meliora, & apertiora his signa præbuit, ex tanto qui præcessit squalore, solitudine, & pauperie ad tantas copias, splendorem, honorémque nos evehens. Ego sanè amo me ipsum eo nomine, quòd ad has res factus sum alacer & utilis cum Polycrate & Petræo. amo autem eum qui nobis huius conditionis autor duxque fuit, & pleraque horum excogitavit atq; adornavit * Sed fieri non potuit, ut tam ingens mutatio tantillo temporis spacio accideret hominum industria, deo non præsentem, & diuinitatem oraculo largiente. Verùm sicut olim fuere, qui perplexitatem oraculorum obscuritatémque vituperarent: ita hodie etiam sunt, qui nimiam calumnientur simplicitatem. admodum ipsi & iniuste & fatuè adfecto animo. Nam pueri quando arcus cœlestes, areas circa Solem aut Lunam, cometæve vident: magis delectantur quàm Sole aut Luna conspectis. Eodem modo hi ænigmata & allegorias mutata vaticinationis, quæ reflexionibus numinis ad mortalem & imaginantem vim animi constat, desiderant: cuius quando causam non satis audiunt, abeunt deo culpam imputantes, non nobis neque sibi ipsis: ut qui virium tantum non habeamus, uti nostra ratione assequi dei cogitationem possimus.